

LEO EPISCOPUS Servus Servorum Dei

Dilecto filio **Danieli Palau Valero**, e clero dioecesis Sancti Felicis de Llobregat, ibidem hactenus Praefecto Sectionis Theologiae Systematicae facultatis Theologicae apud Athenaeum Universitatis Sancti Paciani Baccinone, Ilerdensi Praesuli constituto, salutem et Apostolicam Benedictionem. Vera theologia est noscere Deum, qui orationis silentio et contemplationis exercitio unicuique discipulo Christi virtute ineffabilis Sancti Spiritus lucis semet ipsum in animo largiter manifestatur eumque ad plenam se cum in caelesti Patria unionem ducit. Ut haec ree eveniat, tota Ecclesia veluti magistros fidei habet episcopos, qui, una Nobiscum, vigilantes super gregem Dominicum, ministerium et militiae et eruditionis christianae ad fidelium in fide progressum explent. De his quidem meditantes, ad Ilerdensensem Sedem dirigimus cogitationes Nras, quae, causa renuntiationis Venerabilis Fratris Salvatoris Gimenez Vallis, in praesens adventum novi spiritalis ac dioecesanae vitae ductoris enixe expectat. Siquidem Sanctae Sedis et Nos trum novum Praesulem huic dioecesi providere est, Nos te in mente habemus, dilecte Fili, qui, ut novimus, peritus es in Sacra Theologia necnon necessariis virtutibus humanis sacerdotalibusque videris eminere, quod sane spem a te Nobis permittit, te hoc magni momenti apostolicum opus una Nobiscum cite communicare posse. Itaque, Dicasterii pro Episcopis ponderato consilio, Apostolica Nostra potestate agentes, te Episcopum **Ilerdensensem** nominamus, cunctis debitis datis iuribus congruisque impositis obligationibus. Ordinationem episcopalem ubivis extra Urbem, servatis liturgicis normis, a catholico episcopo quem elegeris, accipere poteris. Attamen antea fidei professio erit tibi facienda et fidelitatis ius iurandum in Nos et Nostros Successores dandum secundum Ecclesiae leges et normas. His de Litteris Nostris totam tibi commissam communitatem cetero facias, quam invitamus ad praebenda tibi filialis dilectionis et oboedientiae signa. Denique, dilecte Fili, te hortamur, ut omnes veluti pater et christianae fidei magister corde caritatis pleno quomodo servare praecepta Evangelica in cotidiana vita edoceas, omnibus tuo exemplo vitae deserviens. Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo primo mensis Maii, Anno Sancto bismillesimo vicesimo quinto, Pontificatus Nostri primo.

Leo PP. XIV

Reverendissimi Patris Ar.